



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 48. Petrus Cluniacensis Romæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

utro excedat. An æquo animo ferat prospera & adversa. An non, dum otio fruitur, Sæcularibus nugis indulgeat, *nugæ enim, ait, inter Sæculares nugæ sunt; in ore Sacerdotis blasphemia. Fæde, Sanctissime Pater, ad cacbinnos moveris, fædius moves.* Mox addit: *De avaritia non est quod tuum fatigem intuitum, cum pecuniam haud pluris quam paleam facere dicaris, sed cave, ne unam personam ex sinistro affectu alteri præponas, cave, tibi a nimia credulitate, cujus callidissimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi satis repulisse versutias.* Hic est secundæ Libri de Consideratione sensus.

§. XLVIII.

Petrus Cluniacensis Romæ.

Sub idem tempus Petro Abbati Cluniacensi post reditum ex urbe Roma, & postquam menses quinque abfuisset a suis, S. Bernardus epistolam scripsit humanissimam, cui tamen Abbas Cluniacensis tam cito ac voluisset respondere non potuit, quod reduci ingens negotiorum moles objecta fuerit, nam ubi in Monasterium suum pervenit, habuit ibi expectantes se Legatos ex Italia, Germania, Hispania, Anglia, Francia, id est ex monasteriis sui Ordinis Monasterio Cluniacensi subditis, unde negotia ipso absente collecta expedienda fuerunt.

M 2

In

Sæcul. XII.
A. C. 1150.
c. 12.
c. 13.
c. 14.

6. ep. 47.

Sæcul. XII. In epistola autem ad S. Bernardum de
 A.C. 1150. inde data, quomodo ab Eugenio Papa
 receptus fuerit, his verbis narrat: *Me
 bilari semper vultu dignatus est, dum alios
 pro diversitate personarum & adjuncto-
 rum vel amice vel severe intuebatur. Me
 non nunquam viris majore dignitate ful-
 gentibus præferebat, me pæne solum de
 exteris ad consilium cum suis Romanis ad-
 hibebat. Hæc publice; ubi autem pri-
 vatim agebamus, nunquam fidelio-
 rem Pontifice maximo amicum, nunquam mei
 amantio-rem fratrem expertus sum. Lo-
 quentem mansuete audiebat, prompte &
 sincere respondebat, me comiter quasi æqua-
 lem, etiam non nunquam reverenter quasi
 superiorem habebat. Nihil fastum sa-
 piebat, nihil supremum dominatum, sola
 æquitas, humilitas, ratio imperabat.
 Quæ petebam, vel cito concessit, vel tam
 leniter denegavit, ut conquerendi causa
 superesset nulla. Videram Eugenium
 Romæ primo Pontificatus sui anno, vide-
 ram eundem postea Cluniaci, Antissiodori,
 Catalauni, Remis, ultimo autem Romæ
 multo meliorem inveni.*

§. XLIX.

Petri Cluniacensis Epistola.

Romu. Sa-
 lern. ap.
 Baron.
 an. 1150. **R**ogerus Siciliae Rex, anno millesimo
 centesimo quadragesimo nono, filio
 suo primogenito Rogerio duce Apuliae
 orba-